



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Quid sit Concilium perfectionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

Ambrosij, Hieronymi, in sacris virginibus custodiendis; si enim Sanctimoniales omnes excederent annum LX. non magna custodia indigeret earum pudicitia.

CAPVT VII.

Quid sit Consilium perfectionis?

SEQVITVR nunc quæstio de consiliis perfectionis, quam secundo loco tractandam proposuimus. Ac primùm explicandum erit, quid sit consilium perfectionis, & in quo differat à præcepto. Secundò, quid sentiant hæretici, & quid Catholici. Tertio, probanda veritas, Quarto, soluenda argumenta.

Quantum ad PRIMVM, consilium perfectionis vocamus opus bonum, à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum. Differt autem à præcepto ex parte materiæ, ex parte subiecti, ex parte formæ, & ex parte finis. Ex parte materiæ dupliciter. PRIMÒ, quia materia præcepti est facilior, consilij difficilior; illa enim sumpta est ex principiis naturæ, hæc superat quodammodo naturam; nam ad seruandam coniugi fidem natura inclinatur, at non ita ad abstinendum à coniugio. AMBROSIVS lib. I. de virginibus: *Quis, inquit, humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra & sum natura sit è cælo accersuit, quod imitaretur in terris.* Et HIERONYMVS, siue quicumque fuit auctor, sermone de assumptione: *Profectò, inquit, in carne præter carnem viuere, nõ terrena vita est, sed cælestis.*

SECUNDO, quia materia præcepti bona est, consilij melior & perfectior, loquendo de præceptis, quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia; consilium enim includit præceptum, & aliquid supra præceptum addit. AVGVSTINVS serm. 18. de verbis Apostoli: *Illam autem, inquit, amantes, quibus terrena nuptia siluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, & q; ad eò acceptarunt præceptum, & non recusarent consilium; & plus placerent, plus se ornauerunt.*

OOO §

Ex pa-

Ex parte subiecti differunt consilia & præcepta, quod præceptum commune sit omnium, consilium non item. Augustinus serm. 16. de tempore: *De Virginitate dicitur: Qui potest capere, capiat; de iustitia non dicitur: Qui potest facere, faciat, sed: Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Ex parte formæ, quod præceptum vi sua obliget, consilium in arbitrio hominis positum sit. Hieronymus in epistola ad Eustochium de seruanda virginitate: *Vbi consilium, ibi est voluntatis arbitrium; Vbi præceptum datur, ibi necessitas est voluntatis.* Et Augustinus de sancta virginitate, cap. 30. *Negant enim, inquit, sicut non mæchaberis, nõ occides, ita dicitur potest non nubes; illa exiguntur, ista offeruntur: si sunt ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur.*

Ex parte finis, siue effectus, quod præceptum observatum habet præmium, non observatum habet poenam: Consilium autem si non seruetur, nullam habet poenam, & si seruetur, maius habet præmium. Augustinus de sancta virginitate, cap. 14. *Præcepto quisquis non obtemperat, reus est poenæ. Et infra: Sed quoniam deuitatis remissionem peccatis, ad eundem est vita aeterna, in qua est quadam egressus gloria, non omnibus in aeternum videtur, sed quibusdam tribuenda; cui consequenda, parum est, liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori doneatur, quod non sit criminis non conuisse, sed conuisse ac reddidisse sit laudis: Consilium inquit Apostolus, do, &c.*

CAPVT VIII.

Ponuntur variae sententiae de Consiliis.

QUANTVM ad SECUNDVM, quatuor sunt de hac re sententiae; tres falsæ, vna vera. Quidam enim volunt ea, quæ nos vocamus consilia, vt voluntariam paupertatem, & continentiam, non esse consilia, sed præcepta. Alij, non esse consilia, nec præcepta, sed res indifferentes. Alij, non esse consilia, nec præcepta, sed mala & prohibita. Alij denique, esse consilia.

PRIMA opinio est verustissima eorum, qui se Apostolicos dicebant, qui, teste Epiphano, hæresi 61. & Augustino hæretici